



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam  
emissæ. In Deuteronomium**

**Bugenhagen, Johannes**

**Basileae**

**VD16 B 9247**

Capvt XVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36133**

Excæcant. ] ne uideant quod ante uiderunt, Incipiunt enim informare conscientiam (ut hodie uocant in reconsulti) sed male propter munera.

Mutant ] id est, peruertunt uerba iustorū. Ex Heb. facta iusta uel caussam iustam.

Non plantabis. Gentes habebāt arbores dijs sacras & deorū statuas. Contra quod supra dixit lex ca. 12. Non facies similiter domino deo tuo & c. Cōtra hoc præceptū impie sæpe peccatum indicat historia libri Regū. Hoc aut̄ uult hæc lex, alienū dei cultū uero cultu non esse admiscendū, alioqui totū statim esse cōtra deum, id est, humanas traditiones uerbo dei nō admiscendas, & qd' adagio dicitur, nō harā iuxta aram.

## CAPVT XVII.

**R**Estū iudicium hoc caput & qualis sit rex describit. Iccirco & quæ supra de iudicijs dixerat huic capiti deberent annecti. Intermiscet uero de luco & statua dei & hostia uitiata quæ sunt abominatio deo.

Non immolabis & c. Supra dictum de mundis & immundis & quid sibi uelint, ubi inter munda imprimis nominantur bos & ouis. Hæc uero lex declarat si maculam uel uitium in corpore habuerint nō solum immunda esse quæ munda uocantur, sed etiam abominationem deo, quemadmodū & supra primo

gentiū uitiosum fecerat cibum cōmunem tam mūdo  
quā immundo ne offeretur deo. Iudæi erant mundē  
quia populus dei. Gētes immūda quia idololatræ, ut  
uides ex historia Petri, sed deus inuenit in iudæis ma-  
culam & uitiū, erant enim cæcis oculis & surdis au-  
ribus & excæcato corde, Iccirco abominatio ei factū  
sunt. Gentium autem corda fide purificauit, hinc &  
meretrices & publicani hodie quoq; præcedūt phari-  
sæos hypocritas in regnū celorum. Deus enim non no-  
mina respicit sed rem ipsam, id est, fidem, Hier. 5. 1. &  
hanc legē respexit Paulus quando dixit sanam doctri-  
nam. 2. Timo. 4. & sanam fidem Tit. 1. Et Psal. Beatē  
immaculati uel integri & perfecte sani in uia. Et ali-  
bi. Nouit dominus dies immaculatorū uel integrorū  
i. qui perfecta siue sana fide sciunt humana opera esse  
nihil. Huc quoq; pertinet qd' Paulus ait Tit. 1. Vt sani  
sint fide, nō attendentes Iudaicis fabulis & præceptis  
hominū auersantium ueritatē Omnia quidem mūda  
mundis. Immūdis autem &c. cū sint abominabiles &  
dicto nō audiētes & ad omne opus bonū reprobī. Vis

Cunq; reperti &c. (de & Esa. 1.

De his & q non sit temere iudicandū diximus supra  
cap. 13. Hic uero caue ne frustra dictū putes, Quæ non  
præcepi. Id quod ex superioribus satis clarū est. Milī-  
tiā uero siue exercitiū coeli, ne angelos cogites, uocat  
sydera & stellas. ut Esa. 40. Leuate in excelsum ocu-

los uestros & uidete, quis creauit hæc? Qui educit in numero militiã eorũ & omnes ex noie uocat. quẽ admodũ et i psal. Qui numerat multitudinẽ stellarũ &c.

In ore duorũ aut trium &c.

Hic habes legem q̄ unus testis est nullus non solum in causa sanguinis sed etiam in quacunq; causa ut infra uides cap. 19. Verum testis diligentissime examinetur quemadmodũ Daniele fecisse historia Susannæ habet, id quod eodem cap. 19. uides.

Manus testium.

Supra cap. 13. Sit primum manus tua &c. Ita & testes lapidaturi Stephanum deponebant uestes ad pedes Pauli &c. Hæc occisio nunc est excõmunicatio ubi testes accusant & dicunt ecclesie & ecclesia tota condemnat reũ dum non audit, donec redeat. Vnde Paulus ad hanc legẽ allusit. 1. Cor. 5. Congregatis uobis & meo spiritu, cũ uirtute domini Iesu, tradere huiusmodi hominẽ Satanæ in interitũ carnis, ut spiritus saluus fiat &c. Expurgate &c. Auferte malũ ex uobis ipsis.

Si difficile &c.

Lepram & non lepram, male legitur. Nam iudicium de lepra non pertinebat ad iudices in ciuitate sed ad sacerdotes leuitici generis, Leui. 14. Ideoq; Christus quando erat minister circumcisionis dixit leprosis. Ite ostendite uos sacerdotibus & offerite sicut præcepit uobis Moyses in testimonium illis &c. Legendum

ergo, Inter plagam & plagam.

De hac lege supra cap. 1. ex cōsilio Ietro soceri sui dixit. Qd' si difficile uobis aliquid uisum fuerit referte ad me & ego audiam, Iudiciū autem ambiguum inter sanguinē & sanguinem est, quādo dubitatur num sanguinis reus sit nec ne, qui uitiauit corpus proximi aut occidit, & non pōt internosci aut probari, uoluntariū ne factum sit an fortuitū &c. Ita iudiciū inter causam & causam intellige dum alij iudicant pro reo alij pro auctore, & nihil certi potest statui. Sic & inter plagam & plagam intellige ut de sanguine diximus. Hęc lex necessaria & optima est, ut dubia causa in regno finiat, certa autē causa in ciuitate, ne permittatur iniustis auctoribus quod hodie uidemus qui etiā pessimam causam suo cōmodo agūt per appellationes illas donec altera pars grauata & itinere labore & periculo & penuria cadat à causa iusta &c. Sed uide quid deus uoluerit in tali casu, nempe audiri sacerdotes in lege domini doctos, & ad iudicem summum totius populi qui uice regis erat anteq̄ crearentur reges, qui & ipse doctus erat lege domini, iuebatur enim legere quotidie deuteronomiū, ut uides Iosue. 1. & infra de rege. Qui enim sic docti sunt habent fidele consilium, ubi nō est manifestum dei præceptū. Et in tali casu non solum in contentiōe litis, debet audiri spiritualis homo, is quicquid tibi pronūciauerit oraculū esto, quēadmodū &

Paulus saepe pronunciauit fidelis & misericordiam  
consecutus, nihil praecipiens. 1. Cor. 7.

Qui autem superbierit &c.

Per hoc contumaciam reprimat illorum qui in hoc casu  
sua causam uolunt iustificari, alioqui non audituri &c.

Cum ingressus.

Hoc genus uitae non probauit deus sed permisit, sciens  
quo declinaret quod ex se posset sustineri & esse uti-  
le. Hinc tam pauci reges leguntur fuisse pii. Voluit de-  
us ut iudices constituerent ex fratribus sapientes &  
intelligentes qui iudicarent rectum iudicium coram  
deo in cunctis urbibus, & ipse ducem siue iudicem  
per se, ut Moisen, ut Iosue ita alios semper suscitauit  
eis qui liberaret eos de uia aduersariorum & iusto eis  
praesentaret iudicio cum sacerdotibus leuitici generis,  
usque ad Heli sacerdotem qui & iudex & sacerdos sum-  
mus erat sed filios habebat iniustos, cui successit Sa-  
muel sanctus cuius filij acceperunt munera & peruer-  
terunt iudicium, Neque tamen iniustitia filiorum Samuelis  
causa bona erat petendi regem. Suscitasset enim inuo-  
cantibus & tunc ut ante iudicem & sacerdotem bonum.  
Vnde ait ad Samuelem. 1. Reg. 8. Non enim te ab-  
iecerunt, sed me ne regnem super eos &c. Et Osee. 13.  
irridet populum dicens, Vbi est rex tuus, maxime nunc  
saluet te in omnibus urbibus tuis, & iudices tui, de quibus  
dixisti. da mihi regem & principes? Dabo tibi re-  
gem in

gem in furore meo & auferam in indignatione mea. voluit dominus consultum populo ut iudicium esset apud sapientes & intelligentes secundū legem domini, quales esse oportebat sacerdotes in loco sacro, & qualem instituit iudicem in suo Iosue post Moysen, nō apud regem, quem sciebat uacaturū equis, multis uxoribus & mulieribus, auro, argento & reliqua ambitū oni & oppressiōni suorum, ut uides. 1. Reg. 8. quando quāso talis uacaret legi dei, ut, spiritu doctus à deo, re-ctum proferret iudicium? Hic & electum Dauidem oportuit impingere, sub quo dedit illis deus omnē terram quam promiserat, ut ueritas dei probaretur. Post quem sub Salomone dum omnia florere uidebantur coram mundo, tamen coram deo retrolabebantur, id quod finis Salomonis declarauit. Atq; adeo iniustitia sub regibus exundauit, ut perpetua facta sit uix sepe reliquijs saluatis, donec ad deum, quem abiecerant ne regnaret super ipsos, rediret regnū per Christum, id quod prophetae promittunt, quemadmodū Esa. 9. dicitur, Super solium Dauid &c. Et. 32. Ecce in iustitia regnabit rex, & principes in iudicio præerūt &c. Quia uero futurū uidebat deus ut peterent regem, præscribit hac lege qualem solummodo permittat. Si quem ergo talem repereris hunc solum dicitō bonum piūmq; regem ac principem, quo enim loco alios habeat deus satis declarat.

Quē dominus elegerit. Ne uel sic aliquid tentent sine domino, quae electio uidebatur eterna in Saule, sed translata est ad Dauid, post quē non electi sed nati sunt reges usq; ad Christum, ante cuius aduentum cessauerat regnum Iuda & regia stirps Dauidis inducto rege alienigena, ut sciretur Christus iam adfuturus. Qui autē reges erant post Salomonem in regno Israēl omnes nō solum impij erant, sed & regnū impie administrabant.

#### De numero fratrum tuorū.

Et hoc quoq; utile est ut non habeamus nisi apud nos natos, quemadmodū apud nos hodie nascuntur, qui hereditatem suā ament, tucantur, norint mores & cōsuetudines & c. quorū gladium probat scriptura etiā in gentibus. Nostri hodie Euangeliū gladio extinguere uolunt id quod eis Christus nō permittet nō minus q̄ olim. Scient enim in suam tandē perniciem, qui iudicare uolunt quod egregie ignorāt homines nihil habentes spiritus & c. Paulus uidetur ex hac lege sic dicere. 1. Cor. 6. Inter Christianos nō debet esse lis & contentio. Verū si non potest aliter fieri ex fratribus cōstituite iudicē, ne iudicemini apud gentiles iudices & c.

Equos & c.] Contra fecit Salomon 3. Reg. 10. & 11.

#### Ne in Aegyptum.

Itarco redemit ex Aegypto ne redirēt, & reuertentes in deserto perierunt, & clamāt propheta Esa



ias, Hieremias. Oseas, ne eò pergant auxilium sperantes.  
Lex est, ne erepti sanguine Christi agni immaculati  
& spiritu dei quasi columna ignis & nubis ducti &  
traducti per mare rubrum baptismi, redire uelimus  
ad regnum tenebrarum &c.

Subleuatus quasi sperās Aegyptios sibi subigēdos.

## Deuteronomium.

Vtinam nostri principes (qui à Papistis hodie seducti  
cæci damnant quod non uident) hoc hodie observa-  
rent ut legerent legem domini & uerbum dei sui. Ni-  
hil boni iudicabit princeps qui & ipse non sapit ex  
deo, sed pēdet ex aliorū solū sentētijs, ut diximus c. 1.

A sacerdotibus &c. ] ne incidat i corruptū exēplar.

Nec eleuetur. Digna lex, sed lex manet lex ubi  
nō adest spūs. Digna uox principe quā dixit Gedeon.  
Nō dominabor, inquit, uestri, nec dominabitur in uos  
filius meus, sed dominabitur uobis dominus.

Neq; declinet ] scilicet iudicando, ut supra.

Vt longo. ] quemadmodū Dauid. Contra abstulit  
deus & reges & regnū, qā cōditio nō est seruata &c.

## CAPVT XVIII.

**D**E ista hereditate sacerdotum & leuita-  
rum supra cap. 10.

Hoc erit ius &c. Optima dat sacer-  
doti ne contēnatur eius ministerium, cui